

tur, ad hoc quod per tot præambula tendebat stilus, sapientis & vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio fruētis animi signum est: quid enim prohibet quod in singulis vel Regibus vel Philosophis miratur antiquitas? In hoc (dicendum est enim sapius) & Rege simul & Philosopho posteritate admiraris: Nouerat se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat, quibus grauissimum se memorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos Regni successores, & ætatem multis obiectam periculis verebatur: Nouerat sacrum Religiosæ cōiugis arcanum, fugam è seculo illo adhuc superstite, meditantis: Tuto quidem poterat illustri fœminæ Regni pondus committere, poterat illi animo superædificare quantumlibet fundamenta non deerant, nisi ipsa quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, salutis propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis mox intra sacros parietes Monasterij sepelisset, ad altiora suspirans: Hoc muliebri propositum iam pridem cognitum, multa voluentis animum angebat, quis habenas rerum post se flecteret, quis Reg-

t. j.